

AMPLISSIMIS,
ORNATISSIMISQVE VI-
RIS D. CONSULIBVS, AC SE-
NATORIBVS REIPUBLICAE
Bremensis, Stadiensis & Box-
tehudensis, Dominis ac pa-
tronis meis obseruandif-
simis S. & tranquil-
litatem.



DEPLORANDVM est,
viri amplissimi, orna-
tissimique, naturam hu-
manam eò calamitatis
primi parētis nostri cul-
pa deuenisse, adeoque
excæcatam esse, vt non modò assiduè
plurima ei incommoda, Sathanæ ten-
tationes, hominum persecutiones, bel-
la, angustia, fames, morborum omne ge-
nus, mors denique perferenda sint, sed
vt etiam horum malorum neque cau-

*Miseria vi-
ta huma-
na.*

sas intelligat, neque idonea remedia
 quærat, vel admittat. Adeo enim pleri-
 que sunt ingenii deprauatis, vt si quos
 animaduertant, qui & morbum ipsis in-
 dicare & pharmacum adhibere possint,
 ac velint, risu potiùs excipiendos, vel o-
 dio persequendos sibi esse ducant, quàm
 beneuolè audiendos, aut pro officio be-
 neficium aliquod reddendum. Quam
 indignitatem si vlli homines alij, certè
 Theologi & medici potissimùm sentire
 solent: quippe qui tum demum odiosi
 incipiunt esse quibusdam, cùm maximè
 profuerunt, reque ipsa experiuntur, quod
 Xenophon inquit, Ingratitudinis comi-
 tem esse impudètiã. Quod etsi ita sit,
 & mihi quoque aliquando vsu venerit,
 tamen propterea non existimaui cessan-
 dum esse, quò minùs Christiani medici
 officio, tum meditando quæ utilia sunt,
 tum agendo quæ inuēta, *ὅσων δὴ ἤ ἐγὼ δύ-
 ναμαι χεῖρσίν τε ποσίν τε,* studiosè fungerer.

Quamobrè cùm ante annos aliquot
 Me suæ consilium, quo iubet Deum in
 omnibus præponi, secutus, duos libellos
 de

de rebus Theologicis, quæ vera sunt animæ medicina, in lucē ediderim; quorum vno, qui aduersum absurdas hereses nostri tēporis scriptus est, falsa dogmata quasi vitiosos humores extirpare conatus sum: altero, qui de cognitione voluntatis, gratiæq; Dei, & de veræ cognitionis fructibus ac signis inscribitur, sana relig. Christianæ doctrina, tanquã bono & salutarî nutrimento imperitos alere corroborareq; volui: idē subinde cogitavi, cogitabōq; posthac, si Deus animæ parceret superstiti, in propria quoq; professione. i. corporis medicina, pro viribus præstare.

Porro quod de Theologicis dixi, non ita intelligi velim, quasi falcem in eam in alienam messem temerè mittere voluerim, & πολυπραγμονεῖν; omissis enim grauius controuersis, tantum ea sum sectatus, quæ ab omnibus approbatur, aut insectatus, quæ à meliori parte improbat, idq; illis argumētis, quæ tum in scholis, tum in templis didici, atque obseruauî. Quare nullum nefas esse puto, si discipulus lectionis suæ pensum reddat.

*Studium
Theologia
ad omnes
pertinet.*

derit: quando omnium testimoniis cō-
 stet, à mundi primordio, inde vsque ad
 nos, non modò ius & fas esse, vt homines
 adepti rationis vsum, iudicent de reli-
 gione, sed etiam vtile & necessarium ef-
 se, vt exactè iudicare, id est, falsam à vera;
 noxiam à salutari; confictam ab homini-
 bus, ab ea quæ diuinitu tradita est, dis-
 cernere possint. Quemadmodum enim
 omnes homines duabus partibus, id est,
 anima & corpore constant, ita quoque
 duplex actio in omnibus esse debet: vna,
 qua Deum magnificare & celebrare nos
 decet; altera, qua Reip. studium & ope-
 ram nauare tenemur. Atque vt illarum
 partium quamuis natura distinctarum,
 magna tamen est inter ipsas cognatio:
 sic hæ actiones à se mutuò sine graui sce-
 lere separari non possunt. Ergo impiè fa-
 ciunt, qui ita profanis negotiis publicis
 vel priuatis incumbunt, vt diuinarum
 rerum nullam aut exiguam rationem
 habeant: inhumaniter verò, qui ob di-
 uinarum studium, rem domesticam &
 publicam negligunt. Cui sententię ve-
 stra

stra quoque prudentia amplissimū præbet testimonium, dum in ciuitatibus vestris non solum id studetis, vt ciues commodè & tranquillè inter se viuant, sed etiam in doctrina salutis rectissimè instituti, piè & sanctè ambulent. Nam vbi alterum horum duntaxat curatur, fieri nō potest, vt Respub. & Ecclesiæ diu feliciter gubernentur. Quod præter aliarum quarundam regionum exempla, afflictissimum Galliæ regnū, & miserabiles Belgij prouinciæ, prò dolor, hodie demonstrant. Quæ enim alia causa est illorum ferè inauditæ calamitatis, quàm puræ religionis contemptus, veritatis diuinæ neglectus, eorūque qui veræ pietatis studiosi fuere, nefaria persecutio? Nā dum Magistratus suam magis autoritatē tueri studet, quàm syncerū Dei cultū; priuatae potiùs quàm diuinæ volūtati subditos parere cogit; denique impiissimi Doëgi & Machiaueli consiliis aurem libētius præbet, quàm Gamalielis ac Abdiæ, talia necessariò sequuntur effecta, quales præcessere causæ. Quia autē exi-

*Gallia &
Belgium.*

tiosam hanc opinionem, & tyrannicam planè gubernandi rationem vos ex animo scio detestari, & in id potiùs incumbere, vt subditis vestrarū P. tam animo, quàm corpore quàm optimè sit, facere non possum, quin hanc piam voluntatē, & sanctissimam curam vestram summo- perè laudem; nec laudem tantum, sed etiam qualicūque studio & industria pro officij mei ratione adiuuem.

*De Ther.
ad Pison.*

Quando igitur hoc tempore in tota ferè Germania nostra dira illa pestilētiae lues, quæ rectè immanis Draco à Galeno appellatur, passim gliscat, & alicubi nō procul à nobis atrociter grassetur, ac velut cancer progrediēdo pascat proxima quæque, multi quidem eruditi medici de curatione eorum qui hoc morbo laborant, atque etiam de singulorum præseruatione accuratè scripsere, & consilia sua integris libris reliquere, laudabiliter instituto: verum quia hoc eorum studium animaduerti non sufficere, sed cōtagium nihilominus quotidie augeri, suaque mobilitate vigere, virésque acquirere

quirere eundo, maximè quòd nulla pu-
 blica ratio & ordo obseruetur hoc malū
 declinādi, maiori aliquo subsidio opus
 esse vidi, nempe quod officio Magistra-
 tus (in cuius opera potissima spes tanti
 infortunij compescendi posita est) adhi-
 bendum sit. De quo cū olim aliquid
 collegissem, quod partim vsu & experiē-
 tia in præclarissimis vrbibus & regioni-
 bus obseruāram, partim rationi cōsen-
 taneum esse iudicāram, visus sum mihi
 operę pretium facturus, si id ipsum sub
 incudem reuocarē, & in vulgus darem:
 vt si fortè aliqui persuaderi possint, in a-
 uertendo hoc pestifero periculo, nō ni-
 hil in humana industria positum esse, ha-
 berent aliquam saltem œconomiā, quā
 sequantur: et si consilio & orationi meę
 quędā deesse putent, ipsi re & opere sup-
 pleant. Non enim talis hęc causa est, quę
 eleganti sermone & apta solūm descri-
 ptione contenta sit, sed quę semel prus-
 denter deliberata, maturè perficiatur, &
 in actum, vt dici solet, ducatur.

Quod autem viri amplissimi V. P. hęc

meam lucubrationem coniunctim dedicare voluerim, duæ mihi potissimum causæ fuere: quarum prima quodã quasi iure me obstringere videbatur: quippe in quorum ditioe iam propè 18 annos medicinã faciẽdo, stipendio mihi in primis obseruãdæ Reip. Bremësis cõsumsi, vitæque meæ terminum quodãmodo fixi, vt à quibus plurimum acceperim beneficij, iisdem redderem, quantũ possum, officij. Secunda in mysterio ternarij numeri vestri à me cõsiderata fuit, dũ in hoc Episcopatu, quasi in vno corpore tria præcipua membra, cerebrum, cor & hepar repræsentare, summãq; animorum consensione, vnanimi subditorum gubernatione, denique concordie religionis cultu pulcherrimam quandã trinitatis harmoniam mihi referre videbamini; in qua non vni ex tribus (præsertim cùm hæc cura æquè ad omnes magistratus pertineat) sed tribus potiùs in vno hoc officij debere me existimaui. Vestræ ergo P. erit, domini & patroni amplissimi, obseruandissimi que, hoc propensæ

penſæ meæ voluntatis, obſeruantiaꝝque
 teſtimonium in bonam partem accipe-
 re, & hanc publicæ ſalutis curam, quam
 hîc mediocriter delineauî, vobis com-
 mendatam habere. Quæ ſi quando irre-
 uocabili, ſi ita loqui fas eſt, fato victa fue-
 rit, ſatiſerit Deo, hominibusque ſtudiũ
 & beneuolentiã ſuam approbaſſe. Chri-
 ſtus Ieſus verus omnis mali auerruncus,
 & tam carnalis quàm ſpiritualis medi-
 cus, genitus ex ingenito, in homine
 Deus, in morte vera vita (vt verbis con-
 cludam Egeſippi) vos vnà cum ſubditis
 veſtris ab hoc lethali contagio il-
 læſos, ac quàm diutiſſimè in-
 columes conſeruet. Da-

tum Bremæ, anno

M. D. LXXXI.



V. P. deditiſſimus

Iohannes Eyyich medic. D.